

V C
4080



H. 36



h. 36, 9.

V c.
4080

PAULLI FLEMMINGII
PROMUS
miscellaneorum
EPIGRAMMATVM
&
ODARUM,

Omnem nuperorum dierum histo-
riæ penum abundanter extra-
dens.

L I P S I Æ,
Mense SEPTEMBRI, Nobis
meritissimò

S A C R O
C I O I S C XXXI.
Sumptibus REHEFELDIANIS.

Excudebat Gregorius Kisch.



GLORIÆ
Christianissimi invictissimiq;
Suecorum, Gothorū ac Vandalorum
REGIS
GVSTAVI ADOLPHI
&
IOANNIS GEORGII
ELECTORIS SAXONICI,
Patris Patriæ;
JURATORUM FIDEI
DEFENSORUM,
TRIUMFATOR. AUGUSTOR.

facrat intimatq;

A U T O R,

Germanus.





Cum defensionem Patriæ
ELECTOR SAXONIÆ
 meditaretur.

UT Pater ENSIGERENS patrias defenderet
 oras,
 Stringere suavit Amor, condere FERRA
 Timor.

*Hic jubet: hic prohibet pugnas. hic certat, & ille;
 Ille suis validus nisibus, ille suis,
 Stringit Amor sua tela, Timor sua stringit. Amoris
 Excipit arma Timor, arma Timoris Amor.
 Quò patrias tandem tegeret Pater Ensigner oras,
 Marte Timor cecidit, Marte rediit Amor.*

FEDERATIO
 Invictissimi Svecorum REGIS
 &

Potentissimi Saxonie Septemviri.

STabat, & adjectis Fidei Concordia votis
 Optabat geminos jungere posse DUCES.
 Stabat, & adversis crepitans discordia rixis,
 Obstabat geminos jungere velle DUCES.

A 2

Hæc



*Hæc cupit, hæc renuit: verbis hæc pugnat, & illa.
Illa diu voluit, noluit illa diu.
Ut faciles ambo tandem placidiq; coirent,
Illa volens cupidam junxit, & illa manum.*

Iu fufum Tyllidis Exercitum.

O D E.

49
Q*uis mugientum fulmine nubium
Non usita. us concrepuit fragor?
Quod i. solens cælo tonitru
Perfurit, & latus icit Orbis?
An pravalasus Jupiter ignibus
Quassat trifulcis Acroceraunia?
Feralibusvè justus armis
Sacrilegos domitat Cyclopas?
Quis sic adultam ponè meridiem
Infuscat auris Ecnepbias nigris?
Quis turbo? quis tumultuosus
Pulveream quatit Eurus oram?
Quid ille clamor? quod properantium
Istud virorum flumen, & influens
Flictu reluctanti rotarum
Diluvium? cecidisse tanta
Tàm preliosi Millia Tyllidis?
Credemus ergò? credimus. occidit
Latè paventis terror Orbis.
Occidit. opposuere laxa
Formidolosi terga Carinthii,
Versiq; pronis Illyrici Gotbis.
Segnes recesserunt Salassi,
Et refugi properant Triugri.*

Insta-

Instate Vindi. pergite Saxones.
Vibrata flexos plumbæ petant Sisyros.
Ferratus atq; sons merentis
Grando caput fodiat Liburni.

Caduca iussis, Turba, tonitrua
Jactate flammis. ningite spiculis.
Rorate gesis. uncinatus
Vulnificâ pluat imber aurâ.

O bellicosi martia gens Soli
Germana pubes, jam tua patriis
Æquata vexillis tropæa
Per duplicem celebrantur Orbem.

Resuscitados cerno Tuisconas,
Priscosq; faustis Arminios globis
Bellare; jam sui Nariscæ
MAURITII rediére Terra.

Clades, ut vocant, Ligistica.

ET poterat tanti sic sterni roboris Hostis,
Qui Populis nudò nomine terror erat.
Dicite Teutonici Victores, atq; Latini,
An strages famæ par fuit una mee?
Quantò major erat nequam truculentia Martis,
Hoc merui titulò nobiliore cani.
Non ego primevas æquæ vero sanguine palmas;
Plus meus in Reprobos, quam mucro, terror agit.

R E X fortissimè pugnans.

Qui sua Tylliæis ructabat classica turmis,
Vicinus, ô Socii, fortè Gradivus ait.

A 3

Audit,

*Audit, & medios pronus REX ivit in hostes,
Atq; suis contrà candida signa dedit.
Vidit ut, ut tremuit vertentibus obvius armis
Mars piter. huc, Socii, clamitat, atq; fugit.
Sic Victor Victus, Victus sic Victor abiit.
Dedecus hinc Victor, premia Victus habet.*

LAUDES

GUSTAVI ADOLPHI

Christianissimi Regis Suecorum, &c.

O D E.

*ET, ò caduci gloria seculi,
GUSTAVE, Regum maxime, maxime,
GUSTAVE, Victorum. ò frementis
Terrificus domitator Ævi,*

*Et grandis horror. Te gelidus Tyras
Et birta Colcbi litora Phasidis,
Te cana Vistula nivosi
Ora tremunt, Hypanisq; fauces,*

*Victoriosas poplitibus minor
Suras Gelonus lambit, & efferus
Moscus, catenatiq; vinctis
Sauromata sinuantur ulnis;*

*Jam noster adstas. Non Tibi Teutonis
Bulimus auri, non Alemannici
Siticulosus aris ardor
Lucrificas stimulat medullas,*

Non

Non ampliandi blandiloquentula
Prurigo Regni. non rigidis Honor
Mercatus armis, non cruentis
Gloria concilianda pugnis
Huc te citavit. Te Superum favor,
Tandemq; lenis supplicibus Tonans
Votis, refulcit caedivo
Subsidium columenq; Mundos
Te curva duris Relligio jugis
Fatale vicit quò caperes sagum,
Suspirioso ignita folle
Lassa Fides Tibi cudit arma.
" Quem cura sacra provocat Infula,
" Is scuta faustò sumserit omine,
" Latè renitentumq; certà
" Robora contuderit sarissà,
Quàm gestienti sustulit pede
Saxo Visurgis, quàm placidus Suevus!
Quàm fautor enari volenteis
Disposuit Tibi Mœnus undas!
Tibi severi Nerèus Albidis
Triparatum supposuit latus.
Tibi verecundi supina
Detumuerè fluentia Sala.
Jam gloriosis densus Honoribus
Vindex Lutberi diceris Ordinis,
Pronis salutarisq; palmis
Teuzonia Tibi liberata
Assertor ingens. Te niveis vehit
Orbi loquendum Fama jugalibus.

Gadesq;

*Gadesq̄, Seresq̄, & remoti
 Te per aprica fremunt Sicani.
 Tantam severis intimat Accolis
 Bellator undis Mosacrepacibus
 Adoream, ridetq̄ victum
 Duplicibus titulis Iberum.
 Jam termitrati Te vada Tiberidis,
 Et rauca sacri litora Numici,
 Almoq̄, Sarnusq̄, & fluenta
 Euganei trepidant Timavi.
 Insiste, Victor. Te cupidus tui
 Suspirat Osus. Te veteres Quadi,
 Et obvii crebris anbelant
 Lutiburi Lygiiq̄ votis.
 Flexis amicū fluctibus annuit
 Potator Ola; dum refluxus pavet
 Prætervolutis Oenus undis,
 Et Savus, & tremebundus Ellus.*

GERMANIA.

E *St ita. divina non emanet ultio dextra.
 Stat revolubilibus Sors fugitiva rotis.
 Tot sum mœsta dies! tot languida vulneror annos,
 Nec potuit nostri quem miserere mali.
 Nunc relevor, veteresq̄ sinunt sub corde dolores,
 Autor & intentum jam mihi vulnus habet.
 Quam benè! quam justè! quam non sine Numine factum!
 Quam mihi non poteram, fert mihi SUECUS opem.*

Deutsch

Deutschland.

Dal freylich ist es so. Gott läßt nichts ungerochen.
Das glatte Glücke steht auff einem leichten
Rad;

So lange bin ich Kranck. so/so alt ist mein Schad;
Und niemand hat mir Trost im minsten zuegesprochen.
Kein Beyleit war omb mich. Irzt/fühl' ich/läßt nicht
wenig

Der alte Schmerz nach. Der nach mir zielt' auff
Blut/
Hat nun die Wunde selbst. Wie wol! wie recht! wie
gut!

Kan ich mir helfen nicht/so hilfft mir jener König.

MERSEBURGUM.

Illa ego prima truces peregrini passa furores
Militis, in regno, SAXO verende, tuo.
Quae mihi tam crudam turbavit Tyllidis iram,
Causa patet, si vis noscere, Sacra fui.
Sic nocet Integritas, sanctiq; fauentia Recti.
Heu! fuit exitio nil meruisse mihi.
Prima fui, quae fracta minis hostilibus hisco:
Sed quoq; quae redeo Libera, prima fui.

Merseburgk.

Des frembden Feindes Grimm in dem Churo
fürstenthumb
Hab ich zu erst gefühlt. Das ist mein erster Rhumb.
B. Wil

Wilt jemand wissen denn / warum ich ward gestört?
Weil ich auch habe mit ins Heistliche gehört.
Ich war ein reicher Geift. Von wegen Frömmigkeit/
Und daß ich nichts verbühet / geschach mir dieses Leid.
Ich stehe fornen an / was uns der Feind entnommen:
Soch bin ich auch zu erst ins Freye wieder kommen.

HALA Saxon.

S Ex ego continuos iram fero Cæsaris annos.
Nec potuit tanti terminus esse mali.
Interea variè quàm spe diludor inani!
Quàm mea sunt lubricis vota beata Deis
Ut conata mea sum consuluisse Saluti;
Inde fui gravius ferre coacta jugum.
Jamq; jacent vires, & jam despero salutem.
Afferor externâ Libera facta manu.

MAGDEBURGUM.

P Assa torum, non passa virum, de nocte triumpho,
Quæ suprema mea visa pudicitia:
Visa fuit; sed visa fuit. non laesa reveni.
Quæ pote, virgineum jus violare Senem.
Jam mihi solicubæ redeunt cum tempore Luna,
Dum meus ex merito vulnera Raptor habet.
Non mihi dedecori, subigi potuisse. perennat
Laudes innocuam posse redire meas.

De

De datâ & recuperatâ

LIPSIA.

Quomodo se nuda jactabat nubere Sponsa,
Atq; indotato concubuisse toro,
Lipsia, restitues, ait, hujus tædia damni.

Hinc veniet Domina dos sat opima mea.
Dixerat: & voti plenus veniebat habendi.

Jam Procus ipse tamen nudus inopsq; fugit.
Nunc redit; atq; ô si, dicit, mea, Nupta, maneres,
Pauperiem reprobo nullus, Amata, tuam.

Von dem ergebenen vnd wieder abge-
nommenen Leipzig.

DER newlich sich vermaß/ er habe sich vers-
trawt
Nur einer nacketen vnd unbegabten Braut/
Sprach: Leipzig sol mir schon den Wangel bald ers-
setzen/

Daran wir Liebenden vns wollen wol ergetzen.
Kam drauff Begierde voll / vnd meynt / er hett es
schon.

Itze fleucht der Freyersmann selbst bloß vnd arm
darvon.

Nun läufft er zu Ihr zu / vnd spricht: Ich wil sonst kei-
ne.

Ich würffe dich nichts vor / bliebst du nur / Arme / meins
ne.

B 2

Ad

51
Ad JOANNEM GEORGIUM
Electorem Saxonicum,
Cum Tylicæ Copiæ Misniæ finibus
ejicerentur,
ODE.

Magne Dux, magno sociate REGI,
SAXO, perjuro metuendus Orbi
Ultor, & latè simulantis horror

Panicus Ævi.

Namq; victriceis Bona Causa lauros
Ante prostratum religavit Hostem,
Et tui vindex Tibi destinavit

Gratia Recti.

Sume debentem Tibi, sume frondem,
Ac triumphali meritos racemò
Impedi crineis, & honora latus

Imbibe verba.

Ut tua testes animositatis
Efferi latè cecidere Carni;
Ut Sclavi tristes, & inefficaci

Robore Tungrü.

Sensit ultorem Charitinus enses.
Et levis serò sibi digna Vilzus
Fata. cristatus luit insolenteis

Dalmata fastus.

Perge solantem cobibere Martem,
Præq; datriceis domitare turmas.

Perge's

Perge: conceptis Tibi gratulatur

Misnia votis.

Te Bone fœlix sociata Sorti

Faustitas albis sequitur Quadrigis.

Prona Te flexis reducem coronat

Gloria palmis.

Ponè victores saluunt Triumphi,

Et gravis densis spoliis iuventus.

Ponè vocali strepitant remissa

Gaudia Rifu.

Jam redit nudi Soror Æqua Justi,

Candor, & passis Amor unus alis,

Et Fides, & Pax, & opima promò

Copia cornu.

Sub adventum ELECTORIS, Lipsiam

Mœsta suburbanis stabat Philyrœa caminis,
Exitabilibus fumida meta globis.

Magnum erat, horribili circumvallarier Hoste:

Magnum erat, in propriis velle perire pyris:

Magnum erat, infenso cogi dare mœnia Marti:

Majus erat, Domino posse carere suo.

Ingemuèr Sales, madidi flevère Cachinni,

In lachrymis navit Risus & ipse suis.

Jam, dum pertusò rediisti Victor ab Hoste,

Visis & ad Famula mœnia chara tua.

Dememinère sui plaudentia Gaudia luctûs,

Et negitant lepidi se lacrymâsse Joci.

B 3

Deprecias

*Depreciat fassum Genius, se iudice, damnatum,
Audet & expressos dissimulare rogos.
Te reduce, PRINCEPS, quis non latetur ovali,
Si salit Excidium, gaudet & ipse Dolor?*

In Symbolum ELECTORIS,

M Ille mihi intendent presenti fulmine Mortes
Heresis, Invidia, Marspiter, Induferi.
Sto, feriant; non curo pili, non aestimo stloppi.
CHRISTUS enim vitæ meta Scopusq; meæ.

In aurum effigie REGIS donatum.

H AEC sunt ista tui, Germania, Vindicis ora.
Vultus hic AUGUSTI debuit esse tui.
Nil heic non regale vides, non Casare dignum.
Quis neget, heic auro vilius esse nihil?

IN EUMDEM ad vivum depictum.

P Oſt unum, Germane, tuum, tuus est DEUS alter,
Quem vivâ pictum cernis ab effigie.
Hunc veniens pronô venerare supinus honore:
Atq; abiens aliquem dic tuitum esse DEUM.

Id

In EUMDEM
cingulotenus æri insculptum.

A *Dspice dimidiò surgentem corpore REGEM,
Quem penes auxilium, Teuto, stat omne tuum.
Integer haut poterat tam curtò schema te scalpi.
Si cupies totum cernere, Mundus habet.*

Auff Ihrer Königl. May. Bildniß/
so biß zur Gürtelstette in Kupffer gegraben.

S *Chaw diesen König an / doch nur in halbem Bil-*
de /
Der / Deutscher / gegen dich mit Hülffe so ist milde.
Ihn hat der schmale Raum nur halb hier vorgestelle.
Wilst du Ihn sehen gantz / so schawo durch die Welt.

Sub effigie ELECTORIS.

M *Artia MAURICII, FRIDERICI bellica virtus
Fulgurat ex oculis, JANE GEORGE, tuis.
Quam si, ceu facie, plenis imitabere factis,
Tunc mihi MAURICIUS, tunc FRIDERICUS eris.
Sed facis, & primis propriam Virtutibus æquas.
Fortibus ô Proavis fortior une tuis!*

In REGEM victoriosissimum.

S *ubdita cur famulis REGEM Bellona Triumphis
Obruit? horroris desine; Belga fuit,*

Actu-

Acturus de tradenda Lipsiâ

In domum Vespillonis ominosè Tyll.
li se contulerat.

IVerat ignarus modò Vespillonis in ades
Tyllius, ut Phyliram vellet habere Suam.
Intremuere Patres, vicinum stare Tyrannum,
Et tam contiguò mœnibus esse locò.
Non venit, ut noceat, dixi. confidite, Cives.
Conductum forsàn propria busta venit.

In feriem Cupediarum
exponendarum, urbi immissam.

PLurima poscebat largò Bellaria censu
Tylliades, Phylirò contribuenda pens.
Vesper erat, poteratq; rei nil talis haberi.
Cras feret ex voto cuncta, Senatus ait.
Manè novò vicina tonat Dux classica verna.
Cogit & ad crudam Tyllida Saxo dapens.
Ferre contentus jentavit fercula Tylli.
Lipsia, nam satur est, mattia conde tua.

In enses decussatos,

Stemma ELECTORIS optimi.

FIdus Amor Patriæ geminos conspexerat Enses,
Quos gravis in celebri vellere Saxo gerit.
Et quid nuda valent, dextrâ sine vindice, Ferra?
Quis vetat? arbitrii sint, ait, illa mei.

Mox

Mox capulum Deus armipotens prèndebat utrumq̃,
Atq; suum tenuit dextra, sinistra suum.
His mihi fœdisfragum subdam mucronibus Ævum.
Sic ait. & primâ Tyllida stravit humò.

In REGEM gloriosissimum.

Certabant nivei nuper de REGE Sodales,
Plenus Amoris Honor, plenus Honoris Amor.
Elic, meus est, ait ille, meus. ferit àera rumor.
Dumq; meus triplicanti, est, ait Aura, meus.
Conticuère Dei, celeresq; sub astra levati,
Est tuus, inquit Amor, est tuus, inquit Honor.
At magis est, ait Aura, meus. citiusq; profatu,
Distulit in gemino Principis Orbe decus.

De Landgravio Hassiæ benè rem gerente.

Dum cadit, & totis disiectus viribus ora
Tylliades Misa, nec benè sanus, abit,
Interea tacitò proserpit robore. Cattus,
Asserit & patrios non sine laude Deos.
Pergite Fuggerides, infames pergite turma.
Qui vos, ceu SAXO Tyllida, sternet, adest.

In effigiem REGIS.

Talis ADOLPHUS erat, Duce quo Germania sumpsit
Scissa decus, pacem turbida, falsa fidem.

De RUTA;

Stemmata ELECTORIS.

Sederat in viridi Mater Victoria campo,
Quà piger ad Philyra Plissa Roseta migrat.

C

POND

Ponè triumphantis veniebat turba caterva,
Qua mare Tylliacos fuderat ense globos.
Cui libet emeriti decernebantur honores.
Cui libet & datus est Ruteus inde stolo.
Ipsaq; rutatis tenis redimita capronas
Dicitur, & ramum Diva vibrasse manu.
Tunc flevisse ferunt, victricia nomina, Lauros,
Tunc Palmas pluviis ingemuisse comis.
Et plorasse Dea: misera, sic spernimur à Te?
Hei fugit à nostro palmite priscus honor!
Mox audisse Deam, querulas mutasse Sorores,
Et Ruta titulos imposuisse novos.
Sic pronam sinuasse caput, contraxeq; truncum
Fertur, & Arbor humana stetit Frutex.
Jam nova victricis notescet adorea Ruta,
Dum Palma & Lauri nobile munus obit.
Qua q; per ingentem regnat Victoria mundum,
Vincenti tribuet Rutea ferta, ferunt.
Quis tibi non benè, Ruta, velit, si gloria prisca
Deponit Stirpi seq; suumq; tuo?

In Leones & Coronas,
Stemma R E G I S.

ET quid est animosius Leone?
Quid fulvò pretiosius metallò?
Quid praestantius elegantiusq;
His junctis poterit duobus esse?
At robustius exolitiusq;
Suco vellere nil potest haberi.
Hoc aurum gerit, & gerit Leonem.
Aurò praevallet, imperat Leone.

Unò

*Unò dimicat, alterò gubernat.
Forsan vellerà delictiora,
Rarò vellerà sumtuosiora,
Numquam vellerà fortiora cernes.*

In Insignia
ELECTORIS.

D*um vigiles aliis versant suapectora cura,
Quei valeant reprobos imminuisse globos,
Stemma Malos Tibi, Saxo, domat. Leo corripit Hostem,
Ruta ligat, claudit Casida, Mucro necat.*

In Leones ensiferos,
Stemma REGIS & ELECTORIS.

V*iderat in Clypeo Suecus Leo Saxone fratres,
Quos tamen ad pugnas nullus habebat Amor.
Assilit, & forti nudum quatit ungue Decussem,
Quò Pater Elector Saxo vocandus erat.
Et quia vox decrat, præibat murmure segnes,
Perq̄, Solum Binis FERRA vibranda dabat.
Præsule sic monstrante viam, fremuere sequentes.
Væ, quibus iratas contigit esse feras.*

In Tres Coronas,
Stemma REGIS.

N*am que Triganitens Adoreorum,
Scintillantibus hinc & hinc pyropis,*

C 2

Es

Et gemmantilus hinc & inde baccos
In auri radiantis ardet igne?
Nempe Triga flagrans Adoreorum
Sueca gloria fertur esse cera.
Non sic ter geminâ corusca classe
Summi tempora Præsidis sacrata
Luris præradiat Corona flammis.
Non sic Cesareum refulget Aurum.
Non tali cupido tributa censu
Exsolvunt Arabi fluenta gemmas.
Non tantos legit Ormus uniones.
Non tam dives aquis rubris metallum
Pactolusvè Tagusvè Duriusvè,
Aut Ganges iocuples, feraxq; Batis,
Aut flavus vebit Hermus, aut Hydaspes.
Non gazas similes tegit favissis
Dives Americæ Peruvianis.
Illis divitiis Adoreisq;
Usquam par nihil est, nihil secundum,
Velut par nihil est, nihil secundum
Hæredi Triplicis Duci Coronæ.
Phœbus sufficit unicus diei:
Trinum uni Diadema vix ADOLPHO.

De dato Plissenburgo.

Quid, vae-sana cohors, capto de robore gaudes?
Non capis, ut capias, ut capiare, capis.

Super visâ imagine
TYLLIDIS.

Tantus eras, poterasq; locò mansisse, sublimi,
Et clarus fausti laudibus esse Ducis.

AP

*Asi cūm securus Fati ambitiosior ires,
Disruit ex merito te mala caussa tuo.
I nunc, nec posthac Germanos vincere coge.
Fallere vel si vis, falle, Bohemae, tuos*

Ad Batavos.

V*ivite, Cattorum soboles, jō vivite, Belgae.
Grata solet fratri fratre venire salus.
Non malè congruimus factis. hostilia fausti
Vincitis arma Salò, vincimus arma Solò.*

*In Leonem ensiferum,
qui super armis stans, Tres Coro-
nas tuetur.*

Stemma REGIS.

Scazon.

H*ic Imperator summus ille Brutorum,
Qui Martias audax obambulat praedas,
Cetrasq̄, thoracasq̄, & evaginat as
Securibus plantis acinaces calcat,
Pandoq̄, fauce, dentibus renudatis,
Luctante lingua, fluctantibus villis,
Et, ungue rectus duplici, coronati
Umbonis adstat irretortus assertor,
Vultumq̄, jaectat evibratq̄, romphaeam,
In perduelles fulminans duellator.
Non ille crates. circuire balantes
Famelicosus esuritor asvevit.
Non innocentes fraudulentus, invasit
Latroferas. non oriator infamis
Getula segni pressit ungue spelaea.*

C 3

Ignotus

Ignotus Orbi. non tamen capi passus,
 Et hinc & inde fageò vehi clathrò,
 Saltator audit Ludius theatrorum,
 Mirantis & pugil jocosus Orchestra.
 Sed Marte famâ compotius & Regnò
 Infractus Arctòas migravit in ceras,
 Danisq; terror, Sarmatisq; Moschisq;
 Magno tuetur Scandiana GUSTAVO
 Mucrone Sceptra. Jamq; providò cœlò,
 Severus ille veritatis Augustæ
 Tutanus, Infulaq; parma Lutheræ,
 Juvamen Orbi cœpit esse Germanò.
 Tot rura, vicos, castra, civitatesq;
 Prædone vindicavit à cathedrali,
 Injuriæ timendus ultor illatæ,
 Trucesq; seriò phalangas aggressus
 Adoriosus dispulit Triumphator.
 Pergitq; torvus, acriusq; victore
 Flagellat ense synciput Liburnorum,
 Ingloriq; versa terga Taurisci.
 Ut dum cruentus instat, igneo vultu,
 Tremantibus toris, jubâ reluctante,
 Per & resibilantis areas aura,
 Et intremiscens pensilis latus terræ
 Minax furente miles ense bacchatur,
 Quis jure quærat: an tuebitur Sceptrum
 Birostris Ales, an Leone jam victa est?

De Symbolâ REGIS:
 CUM DEO ET VICTRICIBUS
 ARMIS.

Cum



Cum DEO victricibusq; faustus armis praelior.
Pro DEOq; pro fideq; me meumq; deputo.
State Fædirupiones, omnium mortalium,
Quot fuere, sunt, eruntvè, state, postremissimi.
State. State. dimicemus, experiri jam licet,
An sit extrapraliantis territorium DEI,
An sit extra nostra Castra Sors, Salus, Victoria.
State, Nequam. praeliemur. jactitemus aleam.
Sic ait REX Tyllianis torvus irâ Copiis.
Moxq; bellatura jussò signa movit classicò.
Moxq; sensit ejus esse Symbolum Valentia.

De captâ

ERPHORDIA.

Non capitur, capitur que Erphordia. Libera sed fit.
Non fuit antè, puta, Libera, Capta fuit.

De TYLLIDE transfugâ,

AD HALBERSTADIUM,

ab eo obsidione liberatum.

Liberat, ut fugiat. lenis vult inde videri.
Crede, nisi fugeret, libera nulla fores.

In effigiem

FINNONIS.

Sum Stiofinnus ego, gelidam benè notus ad Arcton,
Jam quoq; Teutonicis non malè notus agris.
Me timidus refugit, vel solò nomine, Carnus.
Staret, & assererem nomen acinacibus.

In effigiem

LAPPONIS.

Lappionem, spectator, babes, quem vota Liburni
Terrigenas numquam progenuisse velint.

In

IS

Cum

2120
In CLADEM
æridandam, ut datam.

Fatales acies, & inextricabile damnum
Militis Ausonii, dispice, Posteritas.
Heic veteres sensit rediivivis Teutonas armis;
Prodigus heic Sueones sanguinis, esse Deos.

Ad PACEM.

Pro MISNIA,
cùm ejus incolæ, à turmis hosticis magnam partem
dispulsi, post profligatum Tyllidem, quisq;
ad sua, redirent.

O D E.

Diva pacato dominata cælo,
Albidos tractus. & aprica Mulda
Rura digneris facilis benignò
Visere vultu.

Te repercussa modulantur aura,
Pensiles te Zinzinulant cavernæ,
Te boat jacchans casa, te sonorum
Balat ovile.

Te Pater, faustum meditatus omen,
Heic diu seram jubeat morari,
Et revertenti placidum colono
Commodet ævum.

FINIS.

2120
KOP
212

partem

Pou Vc 4080, QK

ULB Halle

3

004 803 639





M...

S
Inte

Ue

Jan

P

Visa

Jan

Nov



ward gestört?
 he gehört.
 gen Frömmigkeit/
 b mir dieses Leid.
 ind entnommen:
 wieder kommen.

n.

nos.

li.

Deis

n.

UM.

riumfo

enem.

ma,

r habet.

at

De

